



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. II. De particularibus quibusdam clausulis dispensationum
matrimonialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

authoritate Pontificis firmato, etiam si omissa forent per incuriam officialium, semper subintelligi; sic Felinus in *c. Cum M. 9. de Constitut. n. 6.* & patet ex ipso textu, ibi: *cum in constitutione predicta, & confirmatione Sedis Apostolica, vel fuerit, vel debuerit, sicut consuevit, esse expressum.* Talis est; *Si preces veritate nitantur*; unde illius omissione in rescripto, hoc non vitatur; sic Fagnanus. *c. Accepimus, de etat. & qualitat. n. 9.*

2253. Not. 2. clausulam dispositioni adjectam, esse interpretandam juxta usum loquendi, quo disponens utitur; sic Marta *de clausul. p. 4. claus. 29. n. 4.* & saepe unam declarari per aliam; cum in legis interpretatione principaliter attendi debeat intentio disponentis sub terminis illi adjectis, quibus declarat vel per extensionem, vel restrictionem, mentem suam; & quia in rescripto Princeps censetur se conformare juri communi nisi aliud exprimat; etiam clausula illi adjecta reduci debet ad statum juris communis, ubicunque sita reperiatur; sic Fagnanus in *c. Causam, qua, de Rescript. n. 2.* ubi rubrica habet, quod ordo rescripti interpretationem recipiat a jure communi.

2254. Not. 3. quando clausula adjecta restringitur ad certum finem, vel casum, ejus interpretationem, ac determinationem esse recipiendam ab eodem fine, & casu; quia censetur apposita secundum naturam rei, de qua disponitur. Et ideo lex interpretans fieri debet secundum clausulam Legis interpretatae; & omissa, nihilominus in illa censetur repetita. Nam expositum, & exponens debent esse aequipollentia. Et ratio ulterior est, quia una clausula secundum diversos respectus diversimode accipitur, ut notat Fagnanus in *c. omnis, de penit. & remiss. n. 31.*

2255. Not. 4. alias esse clausulas, quae apponuntur *in puris narrativis* (ut, cum narratur factum aliquod sub certis clausulis) alias, quae *in dispositivis*; illas non attendi, sed tantum istas, docet Rebuffus *consil. 34. n. 17. & consil. 47. n. 7.* apud Barbof. *cit. n. 9.*

Not. 5. clausulas, quae ab Oratoribus appositae sunt in supplicatione, solum effectum operari, licet non legantur in literis mandati expeditis. Nam etsi non sit judicandum secundum clausulas supplica-

tionis ante literas super ea expeditas propter regulam; *de non judicando juxta formam supplicationis*; secus tamen est, si literae jam expeditae sint. Nam ex eis cognoscitur mens disponentis; ut notat Barbof. *cit. n. 10.* cum alijs ibid. relatis.

Not. 6. clausulam, *in medio* positam, referri ad proxima, non autem ad omnia praecedentia, ut fuisse probat Fagnanus in *c. Nulli de Reb. Eccl. non alien. n. 14.* positam autem *in fine*, referri ad omnia praecedentia. Utrumque ostenditur in casu regulae de rebus Ecclesiae non alienandis, ubi prior clausula in medio afficit solum casum de non emphyteuticando, non autem omnem speciem alienationis; posterior autem in fine non tantum unam, sed omnes praecedentes. Sed hoc in multis limitatur.

Not. 7. Cum ex clausulis quaedam sunt, quae *tacite insunt* mandato dispensationis seu subintelliguntur in mandato, etsi non exprimantur, ut dictum est, eas non esse suspensivas juxta communem regulam traditam de conditionibus appositis *ibi, &* secus tamen dicendum, si aliter exprimantur, quam insunt, juxta ibid. dicta a n. 775.

§. II.

De particularibus quibusdam clausulis dispensationum matrimonialium.

Inter praecipuas est haec: *si preces veritate niti repereris*. Circa hanc clausulam. Not. 1. per eam rescriptum, seu mandatum dispensandi reddi *conditionatum*, sic, ut conditione non subsistente, nullum habeat effectum; sic Conradus. *l. 7. dispens. Apostol. c. 6. n. 27.* Nam etsi haec, *si preces veritate nitantur*, tacite insit mandato, ut diximus n. 348. si tamen sic apponatur: *si preces veritate niti repereris*, aliter exprimitur quam insit, consequenter juxta dicta a n. 771. mandatum reddit suspensum donec *delegatus* per diligentem informationem *comperiat, preces veritate niti*. Et ideo, antequam verificata sit, nullum tribuit jus in re, vel ad rem; sic Gonzalez in *annotat. ad 8. Reg. Cancell. Gloss. 19. a. n. 232.* quia nimirum conditio adhaerens

pendet, sine qua delegato nullum jus committitur. Not. 2. prædictam clausulam referri quidem ad omnia narrata verificanda, sed *sola substantialia*, nimirum ea, quæ concernunt impedimentum relaxandum, & causas finales, seu motivas, quæ allegatæ sunt, tanquam causam, ex qua justè moveri possit, & solet mandans relaxare legem suam in dato casu, ut dictum est in superioribus.

1219. Not. 3. Oratores, qui obtinuerunt mandatum dispensationis in certo, quo laborant, impedimento, interrogatos à Commissario, *an non laborent alio adhuc impedimento?* non teneri fateri, si alio etiam impediri sint, sed *prorsus occulto*, in quo dispensati jam sunt pro foro conscientie; neque per hoc, quòd non fateantur, à verificatione necessaria deficere dictam clausulam, si preces &c. nam hæc non appellat super ea, quæ omnino occulta sunt, adeoque informatio super his non est in commissione; sic Corradus *cit. l. 7. c. 6. an. 23.* Et ideo clausula, *modo aliud impedimentum canonicum non obstat*, mandatis apposita, solum intendit removere impedimenta expressa. Hinc si adessent alia, præter impedimentum expressum, super illis nihil operaretur dispensatio, sed ea relinqueret, prout aderant ante factam dispensationem.

1260. Dixi, *quæ omnino occulta sunt*. Nam si, etiam, postquam à sacra penitentiaria dispensatum est pro foro tantum interno, denunciatur, aut denuntiatum sit coram Parocho, vel Ordinario, eo ipso foret publicum, & necessaria foret dispensatio, quæ constat in utroque foro, de quo Sanchez *l. 3. de d. 15. an. 15.* alias enim, si nondum contraxerunt, interdicti debent, vel, si jam contraxerunt, thoro separandi (ut obvietur scandalis) dum dicta dispensatio sequatur saltem in forma *perinde valere*. Hic tamen discrimen faciendum est, quando impedimentum, quod fuit occultum, & à penitentiaria jam dispensatum, denunciatur est Parocho, vel Ordinario. Nam si prius jam contraxerunt, ad denuntiationem tantum unius testis, nec evadit publicum; nec est periculum peccati, cum sint veri conjuges, nec eo casu illud delegato etiam interroganti fatendum esset, cum sic non interrogetur iudicè, ut dictum est, & tenet de

Justis *l. 1. c. 8. n. 161.* secus, si nondum contraxissent, tunc impediri possent iuxta dicta.

Secunda clausula est: *Tuam conscientiam oneramus*. Per hanc denotari dicitur, quòd *electa sit industria persone*, sic, ut jurisdictionem sibi commissam delegatus subdelegare non possit; sic Menoch. de arbitrar. *Jud. l. 1. q. 68. n. 2.* sed hoc intellige *quoad solum ministerium*, seu actum dispensandi, ut jam notavimus. Hæc clausula tacite inest omnibus commissionibus, & mandatis. Nam Judices, ac mandatorum Executores, omnia facere tenentur secundum bonam conscientiam, ut dicitur c. 1. de Re judic. consequenter non suspendit commissionem, nisi aliter exprimat, quam inest, ut diximus paulo antè. Ejus effectus est. 1. quòd censeatur in tali commissione remissus juris rigor, & dispensatio arbitrio boni viri remissa, ut possit sequi æquitatem, ut notat Barbosa de clausulis, *claus. 24. an. 2.* Alter effectus est, quòd, cum totum Commissarij conscientie graviter obligatæ terminandum deferatur, delegatus non teneatur deferre appellationi, si ab ejus sententia appelletur. Tertius est, quòd delegatus non teneatur procedere cum cognitione judiciali, ut jam notavimus in præcedentibus.

Tertia clausula est; *dummodo copula non intercesserit*. Sed hodie, ut diximus iteratò, non amplius apponitur commissionibus dispensationum. Ejus tamen intelligentiam, & effectum, etiam in casu, quo apponeretur, jam exposuimus in questionibus antè resolutis.

Quarta, *dummodo mulier, propter hoc raptam non fuerit*, solum intelligitur de raptu ad effectum matrimonij. Nam id denotatur per verba: *propter hoc*, nimirum matrimonium incundum; ista clausula per 49. Reg. Cancell. ut notat de Just. *cit. l. 1. c. 6. n. 345.* in quibuscunque dispensationibus matrimonialibus apponi debet, & consequenter omnia semper subintelligitur, atque adeo omnibus inest tacite, non natura, sed juris dispositione. Ejus effectus est, quòd suspendat mandati executionem, si delegatus comperiat, præter impedimentum, cujus dispensationem faciendam continet mandatum, intervenire raptum, qui præstat impedimen-

pedimentum dirimens matrimonium, & quidem, dum etiam super hoc impedimento mandatum aliud obtineatur.

2263. Dices: Conditiones, & clausulae, quae tacite insunt, statim validant, si subsistunt; & si non subsistunt, statim invalidant dispositionem, cui insunt: ergo cum haec clausula tacite insit mandato, si revera mulier rapta sit, mandatum non suspenditur, sed invalidatur. *Re. ant. verum esse, quando non aliter, ac inest, in dispositione exprimitur, ut dictum est: in his autem mandatis, cum delegato incumbat dispensare, si per informationem repererit, raptum non intervenisse, aliter exprimitur, ac inest, ut in simili diximus a num. 2258.*

2264. Unde not. quod clausula, quae tacite inest mandato, si subsistat, non impediat jurisdictionis commissionem, sed tantum ejus exercitium, ut notat Barbosa *cit. clausula 166. n. 9.* qualiter in simili diximus aliquid a n. 227. Et ideo doctrina Barbosa *ibid. n. 8.* dicentis, quod clausula (*si preces veritate nitantur*) nec faciat conditionem, nec jurisdictionem fundet, sed instructionem tribuat ad procedendum, sic indefinite prolata, admitti non potest. Nam etsi verum sit, quod ea clausula, in quantum inest mandato, non faciat conditionem proprie dictam, seu suspensivam, ut diximus num. 2258. fallit tamen in casu, quo exprimitur cum addito: *si repereris preces veritate niti*, ut notatum ibidem. Deinde fallit in eo, quod dicatur non fundare jurisdictionem; si enim, in quantum tacite inest, subsistat, mandatum, quo jurisdictione committitur, ceteris subsistentibus evadit purum, licet usus maneat suspensus, ut dictum est.

2265. Si mandatum dispensationis habeat hanc clausulam: *denum, si tibi expediens videbitur*, duo significantur. 1. quod in eo casu Pontifex non absolute mandet dispensari cum dictis Oratoribus, sed solum *si delegato videbitur expediens esse*, ut dispensentur. 2. quod, si ei visum fuerit ex aliqua causa expedire, ne dispensentur, illum posse negare dispensationem, etiam ceteris omnibus verificatis. Nam hoc importat verbum *denum*, appositum illis verbis: *si tibi expediens videbitur*; sicut enim importat commissionem solum, si

& quantum delegato videbitur. Unde denotat arbitrium boni viri, non autem liberam voluntatem. sic Menoch. *de arbitr. Jud. l. 1. g. 8. a n. 1.*

Quando autem Barbosa *cit. clausula 11. n. 2.* dicit: quod arbitrium boni viri intelligatur: quod faciat ita cum altero, ut vellet fieri in rebus suis; accipiendum est de voluntate in rebus suis *justa, secundum Deum, & conscientiam*; si enim sibi aliquid fieri vellet, vel ipse faceret in rebus suis, quod illicitum, & iniquum est; non posset id facere alteri, quod sibi, nisi pariter illicite, ac inique.

Verba: *discretionis tuae*, important arbitrium regulatum ex legibus prudentiae, in capienda informatione super commisso negotio, & matura deliberatione, nam exequi mandatum expediat, etiam postquam omnia, quae verificari oportebat, intellecta, ut notat Menoch. *cit. l. 8. n. 26.* & dictum est aliquid in superioribus. Ea vero, *de qua, in his specialibus in Domino fiduciam obtinemus*, denotant idem ac si diceretur, *confidimus de tua fide quod ea, quae tibi committimus, fideliter exequeris*, secundum quod oportet, ut diximus n. 2261. ac exigit Trid. relatum supra.

Pvrrhus Corradus *l. 7. in praxi dispensat. Apostol. l. 7. c. 6. n. 4.* docet, ijs verbis: *per Apostolica scripta mandamus, secundum regulas Cancellariae caveri, quod dispensatio non suffragetur, nisi literis confectis*; quod verum esse vult, etiam si ipsa dispensatio fuerit per Papam viva voce oraculo concessa; atque adeo etiam in hoc casu requiri literas, saltem ad evitanda inconvenientia, quae ex sola verbali dispensatione sequerentur, ut, si non bene intellecta fuerint verba.

Diana *p. 8. tr. 3. resol. 74.* apud Gobat in *Theol. experim. tr. 9. n. 669.* censet, in foro conscientiae valere dispensationem, quam primum Pontifex, vel potestatem ab ipso habens, dicit: *dispensamus*, aut, *fiat*; licet in foro externo solum, postquam expeditae sunt literae dispensationis; secundum, probans ex Regulis Cancellariae; primum autem inde, quod valor, & efficacia voluntatis Pontificiae nullo modo pendeat a scripturis; ergo quam primum ea expressa est verbis, obtinet vim suam. Et ideo Praepositus in *3. p. 9. 8. de matrim. dispensat.*

dispens. deb. 7. apud Dianam infert hanc conclusionem: *uti potest dispensatione, & matrimonium contrahere is, cui à fide digno est significatum, Pontificem dispensare, etiamsi litera nondum missa sint.*

In horum confirmationem affert *cit. Gobat n. 670.* casum cum quodam (qui intellexit ex uno Solicitatorum apud Romanam Curiam, esse quidem dispensatum cum ipso, literasque desuper confectas, Officiali delegatas ex inscriptione, sed ob stare pestem, quò minus tutò mitti possint) nihilominus dispensatum ab Officiali, sic faciendum rescribente Nuntio Apostolico apud Helvetos, de quo in supra dictis, & addente: *quò fides merito haberetur literis illius Solicitatoris.*

2268. Cùm autem hæc opponi videantur doctrinæ, de qua Corradus n. priori, & plura inde, fortassè non concedenda inferri possint, & exigi ab Oratoribus, hanc doctrinam, de qua à n. cit. legentibus, cum molestia delegatorum, not. 1. rectè concedi valere in foro conscientie dispensationem, quæ continet *gratiam factam à Pontifice*, ut primùm hic dicit: *dispensamus, vel fiat*, quod petitur, si supplicatio continebat petitionem gratiæ per ipsum, sine commissione, faciendæ. Nam in hoc saltem casu obtinet, quod Diana supra n. priori dicit: *valorem, & efficaciam voluntatis Pontificis non pendere à scripturis.* Nam, quòd *nullo modo* pendeat à scripturis, prout Diana loquitur, nimis indefinitè dicitur, nec procedit. Etsi enim verum sit, quòd possit efficaciter facere gratiam sine omni scriptura, solà voce, si velit; si tamen suæ voluntatis efficaciam restringat (uti potest, & pluribus facit, prout constat ex Regulis Cancell.) ad eventum scripturæ confectæ, expeditæ, presentatæ, &c. certum est, quòd à scriptura pendeat, nec ante illam quidquam operetur etiam pro foro conscientie, si ita velit.

2269. Not. 2. si Pontifex ipse dispensans cum Oratoribus, gratiam restringat ad tempus, quo literæ, vel confectæ, vel expeditæ sint, eos nec in foro interno esse dispensatos ante dictum eventum; an autem, cùm ipse Oratoribus facit gratiam, eam sic restringat, cùm nihil exprimit, judicandum venit juxta regulas Cancellariæ, non quidem pro foro interno (nam

Tom. II.

hæ respiciunt officium Curialium in ordine ad rerum expeditiones in foro externo) sed pro isto. Hinc in dato casu gratiæ ab ipsomet Papa factæ, dispensati censendi sunt in foro interno, ex sola illius voce; pro externo autem, non nisi literis, saltem confectis, ut ex Corr. notavimus n. 2267.

Not. 3. eam doctrinam in n. 2267. quòd 2270.

Oratores dispensati sunt pro foro conscientie hoc ipso, quòd Pontifex, vel à ipso potestatem habens dicat: *dispensamus*, vel *Fiat*, acceptam universaliter, non posse admitti, si agat *de gratia faciendâ*. Ex hoc enim, quòd Pontifex actu mandet, ut alicui scribatur, quòd ipsi committat potestatem cum N. & N. dispensandi, nec in foro conscientie, minus in foro fori dispensati sunt; nam impedimentum non mandato, sed dispensatione tollitur; mandatum enim non est dispensatio. Nec ea doctrina procedit in delegato, esto dicat: *dispensamus*, vel *Fiat*, si hoc contingat, antequam jurisdictionem habeat *in actu*. Nam etiam delegatus hoc ipso, quòd Pontifex alicui det mandatum dispensandi, confectis super eo literis, etiam ante illius presentationem, recipiat jurisdictionem *in habitu* juxta id, quòd docet Corradus l. 7. c. 6. n. 5. ex cit. ibidem juribus: non tamen habet *in actu*, sic nimirum, ut ejus usus non sublit legi, usum præcisè annullanti, si fiat ante presentationem, ac receptionem literarum, & ea, quæ vi commissionis præmittenda sunt, ut ex dictis constat.

Circa id, quòd n. 2267. assertur ex Prae-2271.

posito, Oratorem uti posse dispensatione, & matrimonium contrahere, cui à fide digno est significatû Pontificem dispensasse, etiamsi literæ nondum missæ sint, not. 4. posse doctrinam admitti pro foro interno, si loquatur *de gratia jam facta*; quia sic actu sublatum est impedimentum, & gratia illa, quoad forum poli, non pender à literis, ut diximus n. 2268.

Dixi: *si est gratia jam facta*. Nam si est-2272.

set primò *facienda* per Commissarium, seu delegatum, nec in foro poli, seu conscientie, vel licitè, vel validè contraheret ante literarum executionem à delegato; quia sic, impedimento nondum sublato, contraheret. Excipe casum, de quo *cit. n. 2267.* ex Gobat supr. §. *in horum*; si literæ jam confectæ, ac expeditæ, propter obstant impedimentum v. g. contagionis,

A a a

belli,

belli, &c. ad delegatum mitti non possunt. Nam ejusmodi casu nec quidem ex regulis Cancellariæ videtur restrictum mandatum, ut, nisi originaliter receptum sit à Commissario, nullam executionem habeat, si aliunde constat per fide dignos, revera factam commissionem, &c. Advertendum autem ex Barbosa in Repertor. V. *Gratia*, gratiam videri absolutam, & *factam*, signatâ supplicatione per verbum *fiat*, ut colligitur ex *c. si Apostolica, de prebend. in 6. & c. tibi, qui. 12. de rescript. in 6.* etiam literis non expeditis juxta *Gig. de pension. q. 40. à n. 2.* requirentem litterarum expeditionem *ad effectum agendi*. Ex quo vides, expeditionem litterarum quando *gratia facta est*, requiri solum pro externo foro, ut, si ratione impedimenti, quo quæ affectus erat, matrimonium ejus impeteretur, exhibitione litterarum se tueri possit.

2273. Not. 5. in mandatis dispensationum matrimonialium, quæ diriguntur ad Vicarium Episcopi, apponi hanc clausulam, *depositâ omni spe cujuscunque muneris*, quâ significatur ejusmodi delegatum, ab Oratoribus, vel uno eorum, nullum omnino munus, vel præmium pro labore, quem exequendo impendit tali mandato, debere accipere, ad eò quidem, ut contrafaciens, excommunicationis læte sententiæ penam incurrat, ut patet ex ipsis mandatorum verbis. Si autem mandatum, ut quandoque fit, petentibus ipsis Oratoribus, dirigatur ad ipsum Episcopum, eidem injungitur, ut, si munus, aut præmium qualecunque exegerit, aut oblatum receperit, eo ipso à jurisdictione, & pontificalium exercitio, fructuumque mensæ suæ perceptione, tamdiu suspensus existat, donec à sede Apostolicâ relaxationem suspensionis hujusmodi per satisfactionem condignam meruerit obtinere.

2274. Denique in dispensationibus matrimonialibus, quæ conceduntur *in forma pauperum*, apponitur etiam pœna nullitatis absolutionis, & dispensationis, ibi: *Et nihilominus absolutio, & dispensatio hujusmodi à refaciende prædictæ, nullius sint roboris, vel momenti*, teste Garcia de *Benefic. p. 1. c. 1. n. 108.* Circa hanc clausulam quaeritur. 1. an Vicarius recipiens munus aliquod pro sua functione in executione mandati pro dispensatione matrimo-

niali, peccet? Videtur enim, quòd notariam Pontifex in fine illius clausulæ solum dicit: *à quo, te omnino abstinere debemus*; hoc enim verbum importat potius consilium, quàm præceptum: sed omnino affirmativè dicendum est; cum in fine mandati addatur altera clausula, quâ, *spretâ hac monitione*, aliquid muneris, aut præmij, recipientibus imponitur excommunicatio læte sententiæ, quæ utique supponit culpam gravem. Unde ergandum est, per verbum, *monemus*, de notari solum consilium, quando cadit in materiam aliunde graviter debitam, qualiter fit in præfenti. Nam pro actu jurisdictionis Ecclesiasticæ (qualis est dispensatio in impedimentis matrimonij) aliquod temporale exigere, vel recipere per modum pretij, vel compensationis, Simoniacum est, ut passim dicitur in Tit. de Simon. quod extendit Castropalaus p. 1. c. 17. d. 3. p. 12. n. 10. esto daretur, vel reciperetur *in sustentationem dispensationis*, dicens, hanc conclusionem esse certam ex Trident. *sess. 22. c. 5. & sess. 24. cap. de reform. sess. 25. c. 18.* cum D. Thome & alijs.

Quæritur. 2. an delegati ad dispensationes matrimoniales, non obstantia clausula, saltem *pro labore*, receptione, & examinatione Testium possint aliquid exigere, sic, ut datum, & receptum non sit compensatio actus, in quantum est exercitium jurisdictionis spiritualis; sed in quantum est actus laboriosus, pretio estimabilis? Prima sententia tenet, ubi consuetudo inducta est, posse; quia clausula prædicta loquitur solum de receptione muneris, & præmij, etiam sponte oblatis; non autem, *stipendij* laboris impendi; quia *stipendium*, propriè non habet rationem muneris; ita Sanchez l. 8. de matr. d. 35. n. 11. & Salas de *Legibus. d. 20. sess. 10. in fine.* Secunda negat, etiam eo titulo quidquam exigi, vel recipi posse, etiam gratis oblatum; ita Navar. l. 1. *consil. ult. Zercla. in Rescript. in edit. 2. consil. ult. Zercla. in praxi Episc. p. 2. V. Delegatus. §. 2. & V. Dispensatio. §. 1.* & alij, quos citat, & loquitur Castropalaus *cit. num. 11.* his præmissis:

§. 1. ejusmodi exactionem, vel receptionem muneris, seu præmij, titulo laboris secundum se, in meritum stipendium

non esse actum Simoniacum; quia hic non intervenit temporale pro spirituali; sed temporali; sic Castropalaus *cit. 2. Secundo ad verso.* Loquimur autem de solis actibus recipiendi, & examinandi testes, & similibus.

2277. §. 2, eam exactionem, vel receptionem rei temporalis pro ipso actu jurisdictionis spiritualis, omnino esse Simoniacum; sicut enim iste est quid spirituale, & res illa, ut ponitur, quid temporale; intellige, si fiat in compensationem ejus. Nam in hoc est vitium Simoniacum, quod spirituale temporali, tanquam per illud compensabile, aestimetur.

2278. §. 3, esto, quod Ministris Ecclesiae datur, & ab illis etiam exigitur ad congruam, & decentem sustentationem, sine qua fidelibus non possunt praestare ministeria sacra, non sit Simoniacum, aut alio titulo illicitum; si tamen exigatur *ut laboris stipendium*, saltem in casu dispensationum matrimonialium, fore turpe lucrum, nimirum interdictum per eam clausulam *deposita omni spe, &c.* sic Castropalaus *cit. num. 8.* & alij. Ratio hujus est. Nam hoc significant ea verba: *deposita omni spe cujuscunque muneris & premij*; quia nomine muneris veniunt *donativa* & nomine *premiij*, *stipendium*, merces, & laboris compensatio, ut exponit Farinac. Volum. 4. *sess. 22. c. 3. de Reform. V. cognoscatur.* Nec est expositio aliena à mente Pontificum. Nam ita declaravit S. Congreg. CC. Trid. dicens, dictam clausulam intelligi, ut nemo (nisi Notarius pro examinandis testibus, & capiendis informationibus quartam partem aurei seu ducati) quicquam, *etiam pro mercede laboris necare suscepti, vel alio quovis titulo*, recipere possit, de quo V. Corrad. l. 7. c. 6. n. 14. & alij.

2279. Dices: saltem, vi ejus clausulae, non veniunt inter prohibita munera, *esculenta*, & *potulenta*, quae paucis diebus consumi possunt. 1. quia haec sunt modica, nec tantam vim habent corrumpendi animos Judicum. 2. quia id conceditur in *c. statutum. §. Insuper.* de Rescript. §. probabilius negati illatum; cum expressè prohibeatur acceptio *cujuscunque muneris*, & *premiij*; & excommunicatione puniatur Vicarius, contra prohibitionem recipiens *aliquid*; quo satis clarè, repetitâ

Tom. IV.

prohibitione, Pontifex ostendit, esse intentionem suam, ut *gratis omnino*, sine ullius etiam modicæ rei acceptione, mandata dispensationum matrimonialium executioni dentur. Ad alterum ex *c. statutum* §. esse casum diversum. Nam ibi non agitur de delegato ad dispensandum in matrimonio, sed ad *lites*, quae commissio communiter diu durat, & eget labore magno, consequenter digna est magno stipendio, cujus comparatione ejusmodi esculenta modica sunt, & vix considerantur; at commissio in nostro casu est brevissima: ergo.

ARTICULUS IX.

De dispensatione matrimoniali in forma pauperum.

Ante resolut. not. 1. jurisdictionem dispensandi in impedimentis matrimonij committi de stylo Curiae Romanae, quandoque in forma pauperum, nimirum sub clausula: *dummodo ipsi pauperes, & miserabiles existant, ac ex suis labore, & industria tantum vivant*; nam quando commissio caret eâ clausula, dicitur facta in forma Ordinaria. Not. 2. dispensationem matrimonialem in forma pauperum, solum concedi ad succurrendum mulieri aliâ (nisi dispensetur) subitaur periculum vel honoris amittendi, vel non aliter reparandi. ut notat de Justis l. 1. c. 7. num. 1. Vide tamen, quae dicam infra à n. 2283. & seq.

Not. 3. ex eod. n. 5. hujus dispensationis praxim ita se habere, ut Orator, si non plus, quam centum milliaribus distet ab urbe, teneatur personaliter ad urbem accedere, & pro dispensatione supplicare; quod tamen sic limitat, ut si impedimentum dispensandum sit infra secundum gradum, & ipsi talis accessus sit moraliter difficilis, excusetur à personali accessu, ita tamen, ut ipsius Ordinarius, in fide paupertatis, simul testetur etiam *de dicta difficultate*. Si autem impedimentum dispensandum sit intra secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis, requiri personalem Oratoris accessum ad urbem, ut in forma pauperum dispensetur; nec ab isto accessu excusari, etiam si sit longa distantia, & labore maximâ paupertate, & vitio corporis (ut est esse *caecum, claudum, debilitatum*) dummodo iter arripere possit.

Aaaa 2

Haec